

1230.

[m. 4.]

*Pro hominibus de Wilton et de Walingeford.*—Rex concessit R. comiti Cornubie, fratri suo, quod decetero reddant ei homines Wilton firmam xxx librarum per annum de villa Wilton, ad se sustentandum in servicio regis, quamdiu regi placuerit. Et mandatum est eisdem hominibus de Wilton quod de predicta firma xxx librarum intendentes sint ei et respondentes, sicut predictum est. Teste ut supra.

Eodem modo scribitur hominibus Walingford quod sint ei respondentes de firma xl librarum, ut supra.

*De testamento W. comitis Warennie.*—Rex omnibus, salutem. Sciatis nos concessisse dilecto et fideli nostro W. comiti Warennie quod testamentum suum, quod legitime condiderit, firmum sit et stabile, concedentes et firmiter precipientes quod nullus vicecomes vel ballivus noster vel alia quecumque persona secularis manum mittat ad bona sua que in testamento suo reliquerit, quominus exequutores sui libere et quiete et absque omni contradictione et impedimento illud exequi possint, secundum quod idem comes inde legitime ordinaverit. In hujus rei testimonium has litteras nostras patentes fieri fecimus. Teste me ipso, apud Portesmue, xx die Aprilis, anno regni nostri xiiij. Per dominum L. Dublinensem electum.

*Pro episcopo Coventrensi.*—Episcopus Coventrensis habet litteras deprecatorias militibus et liberis hominibus suis directas de auxilio ad debita sua acquietanda.

*De licentia mercatorum.*—Reginaldus Willelmi, Petrus Berardi et Ernaldus Berardi habent litteras de licentia quod salvo veniant in Angliam cum mercandis suis, et morentur et recedant, faciendo etc. usque in unum annum a die Sancti Michaelis anno etc. xiiij. Teste ut supra. Pro magistro Waltero de Cantilupo.

Ern' Geraldun et Petrus Boniface, mercatores, habent consimiles litteras usque ad eundem terminum. Pro comite Cestrie.

*De castris Willelmi de Braosa.*—Rex constabulario W. de Braosa de Radenour, salutem. Datum est nobis intelligi quod L. princeps Norwallie cepit W. de Braosa, dominum vestrum, et detinet imprisonatum, unde plurimum dolemus et cujus deliberationem valde desideramus. Quia igitur tam nobis quam ipsi domino vestro expedit ut castra sua interim salvo custodiantur, vobis mandamus, firmiter injungentes in fide qua nobis tenemini, quatinus castrum de Radenour liberetis dilectis et fidelibus nostris Petro filio Hereberti et Johanni de Monemue, quibus illud commisimus custodiendum ad securitatem nostram et ipsius domini vestri, donec Dominus eum deliberaverit. Teste ut supra.

Eodem modo scribitur constabulario de Haya, et constabulario de Huntinton, et constabulario de Brechinniho, et constabulario de Bergeveny.

*De perdonatione fuge.*—Rex omnibus ballivis et fidelibus suis ad quos etc. salutem. Sciatis nos perdonasse, quantum ad nos pertinet, Johanni filio Siwardi fugam quam fecit et abjuramentum regni nostr